



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 111. Bellum adversus Turcas decretum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.  
A.C. 1459.

certo instarent mala, nisi Turcarum conatibus obviam iretur. His addit, victoriam facili negotio esse reportandam, totumque arduitatis cardinem in conciliandis omnium animis versari; tandem cuncta a Pontifice allata a Sacro Cardinalium Collegio rata haberi professus est. Oratione finita, quid decernendum esset, deliberatur, omnesque ceteri concordibus votis in sententiam Pontificis iverunt. Præ reliquis Mediolanensium Dux militari vere eloquentia se suaque omnia in obsequium fidei obtulit. Criminabantur vero Cæsarem Hungariæ Oratores, quod illis Turcarum bello oppressis & ipse molestias adderet; His autem respondit Pontifex, non eum locum esse, quo jurgia movere conveniret; se vero vel maxime intentum fore pollicitus est, ut pax ad utriusque partis vota redderetur. His ita peractis, omnes demum unitis animis bellum esse gerendum decernebant.

§. CXI.

*Bellum adversus Turcas decretum.*

Cum de modo hoc bellum gerendi consultatio fieret, plurimum animis ea insedit opinio, terra marique rem esse agendam: proin quadraginta triremes & octo grandiores naves instruendas; terra vero saltem quinquaginta millia armato-

matorum esse conscribenda, ex quibus Sæcul. XV.  
A.C. 1459.  
 potissima pars pedites, reliqui autem equites forent, id tamen ea fieret conditione, ut Italiæ Clerici omnium suorum proventuum decimam, laici trigessimam, Judæi vero omnium, quæ possiderent, partem vigesimam suppeditarent. Propter hæc, cum Veneti multas difficultates moverent, Pontifex commotus, non parum eis succensuit, illisque exiguum fidei orthodoxæ conservandæ, ac Christianæ Republicæ defendendæ studium exprobravit. In hac Sessione Legati Cæsaris animi sui sententiam non explicarunt, eoquod Joannes Inderbachius, quem verba facere oportuisset, infirmitate detentus, & Antonius Tergesti Episcopus naturæ vitio ad dicendum minus expeditus esset.

§. CXII.

*Franciæ, Siciliae & Britannicæ Oratorum adventus.*

Franciæ Legatos propediem adventuros, inter congregatos rumor erat; nec ille inanis; quippe die decima sexta Novembris quatuor eorum urbem ingressi sunt. Hi erant Archiepiscopus Turonensis, veneranda canitie spectabilis, Episcopus Parisiensis, Thomas Curcellus insignis Theologus, & Rothomagensis Præ-

*Hist. Eccles Tom. XXVIII. Qq tor,*